

scriptio quidpiam circa illorum abrogationem vel immutationem valeat? Casus enim non unus evenire potest, ut Episcopus aliquis per immemorabile tempus omnes Canoniceatus, in Ecclesia sua Cathedrali, etiam in mensibus Papalibus, vacantes; vel præbendas, & dignitates eorum Canonicorum, qui actuales S. Pontificis erant Officiales, adeoque secundum Concordata Germaniæ post vacaturam Summæ Sedi reservatas, conferre consueverit: ubi quæstio enascitur, an eò temporis lapsu facultas ejusmodi præbendas & Canonicatus liberè conferendi censetur præscripta?

480 Affirmativè respondent Zypæus lib. 3. cons. ult. 3. num. 38. ad tit. de Præbend. P. Engel ibid. num. 54. P. Wiestner ibid. num. 71. ac novissimè Clarif. P. Schmalzgrueber ibid. num. 257. Rationes pro hac conclusione sunt istæ. I. quòd Præscriptio contra Germaniæ Concordata nullibi Gentium videatur proscripta: ut proinde ad communem Præscriptionis regulam confugiendum, ac definiendum sit, eandem esse permittam. II. quòd indubiè S. Pontifex in Concordatis Germaniæ, quantum in favorem proprium tendunt, dispensare, & Episcopus Germaniæ privilegium de conferendis dignitatibus & præbendis sibi reservatis, indulgere possit, veluti de facto per primas preces Imperatoribus est concessum, etiam ad beneficia, Sedi Apostolicæ in Concordatis reservata, personas idoneas nominandi. At, quæ privilegiò in alios transmittuntur, etiam Præscriptione transferuntur. Ergo &c. III. quia in contrarium unica stat ratio, quòd talis Præscriptio in præjudicium Supremæ Potestatis vergeret; quæ tamen vel ex eo non subsistit: quia Præscriptio centenaria contra Sedem Apostolicam, ab ipsi Romanis Antistitibus est concessa, per textus clarissimos in cap. ad audientiam 13. cap. cum vobis 14. cap. si diligenti 17. b. 1.

Negativè respondent Branden ad Concord. Germ. q. 2. & seq. Nicolarts ibid. 3. dub. 2. §. 3. Pirhing ad tit. de Præb. num. 363. Reiffenstuel ib. n. 541. quorum præcipuum argumentum est, quòd propter decretum irritans, Concordatis annexum, seu clausulam, quæ omnes actus contrarii irritantur, neque titulus, neque bona fides, neque possessio, ceu necessariz ad præscribendum conditiones, possint convenire. Verum hoc argumentum imprimis quòd titulum non procedit de Præscriptione immemoriali; deinde etiam in Præscriptione adversus Concordata tam titulus, quam cætera conditiones adesse possunt, utpote cum aliquis putativè privilegium S. Pontificis ostendere, & illius vigore prudenter existimare valeat, sibi competere jus, beneficium aliquod Apostolicum conteriendi.

SECTIO IV.

De Rebus & Juribus Publicis & Principibus.

SUMMARIUM.

485. Explicatur jura publica. 486. & seqq. Eorum varietas. 491. Inducitur status quaestio. 492. & seqq. Præmittitur illius resolutioni distinctio inter Jura Majestatis intrinseca & extrinseca. 495. & seqq. Intrinseca non possunt à subdito quæ tali nullo tempore prescribi. 500. & seqq. Bene tamen à subdito, ut desinat esse subditus. 505. & seqq. Extrinseca possunt à subdito quæ tali prescribi. 514. & seqq. Solvuntur obstantia. 519. & seqq. Admittitur jus suprema provocationis. 521. & seqq. Affertur ratio pro illius Præscriptione. 523. &

seqq. Concluditur adversus Præscriptionem. 527. & seqq. Respondetur ad rationem contrariam. 529. & seqq. Insinuatur jus imponendi tributa & vectigalia. 531. & seqq. Utrumque est prescribibile. 534. & seqq. Objectiones diluuntur. 540. & seqq. Etiam immunitas ab eorum exactione prescribi valet. 543. & seqq. Ref. ad l. 6. Cod. de Præscript. 30 annor. 544. & seqq. Explicatur & dividitur Jurisdicchio. 547. & seqq. Assertitur, & demonstratur, quòd possit in tota sua latitudine prescribi.

§. I.

De Juribus & Rebus Principis in genere.

485. Res & Jura, quibus præsentem Sectionem consecramus, non eò titulo, quò in prima Sectione hujus cap. dicuntur publica, putanda ab usi, ad quem sunt destinata; sed à persona publica, Principe videlicet, cui debentur. D. Henric. Canilius in disp. Jurid. de usucap. & prætor. cap. 4. th. 80.

486. Hæc Res & Jura in quinque Classes distinguunt Authores cum Covarruv. d. part. 2. §. 2. num. 7. In prima constituunt res, Principis fisco aut jam illatas, aut delatas tantum; quò pertinent bona vacantia, bona proscripto-

rum, bona reorum criminis læsæ Majestatis &c. In secunda collocant res & jura, quæ Principi in recognitionem Supremæ Potestatis & Majestatis reservata sunt: qualia sunt jura Majestatis intrinseca, de quibus statim; item Corona, Sceptrum, Pomum Imperiale &c. In tertiâ ponunt jura, quæ Principi quidem non in signum potestatis supremæ referantur, attamen in typum dignitatis & præminentie Principalis competunt, qualia sunt in nostra sententia jura Majestatis extrinseca. In quarta sedem assignant, rebus

rebus & juribus, quæ Principis ut Principis sunt, nihilominus de jure communi privatorum esse possunt, ut v. g. pascua, sylva; & agri &c. In quinta demum classe residentiam tribuunt illis rebus, quæ Principes non quæ tales, sed quæ privati possident: fortè quia ex successione legitima, donatione, aut aliò titulo acceperunt.

491. Quòd primæ, quartæ, & quintæ classis bona ad objectum Præscriptionis referri debeant, non credo, quempiam ex Jureperitis dubitasse, propter textus in §. res fisci 9. Inst. l. jam pridem 2. Cod. Commun. de Usucap. l. omnes 4. l. competit 6. Cod. de Præscr. 30. vel 40. annor. Solummodò in temporis determinatione aliqua superest controversia, quam in cap. seq. sect. 4. complanabimus. De bonis verò, in secunda & tertiâ classe numeratis, discipetur, an Præscriptionis imperium penitus dedigerunt? Ubi

492. Notandum est, bona illa ab aliis vocari jura Majestatis, quia nempe Principi, aut alteri, Supremam in Republica Potestatem habenti, competunt. Dividuntur in jura Majestatis intrinseca & extrinseca. Jura Majestatis intrinseca sunt, quæ à persona Supremæ Potestatis illa dependent, ut ab eadem, salvâ illius substantia, & (si loqui fas est) in consensu commposito separari, ac communicari aliis nequeant. Talia sunt jus ferendarum Legum publicarum, jus creandi Reges, Duces, Marchiones, jus supremæ Advocatiæ, jus restituendi famam & natales pro toto saltem Imperio &c. Jura Majestatis extrinseca nuncupantur, quæ, salvâ Majestate & Potestate Supremâ, in alios derivari possunt. Ejus generis sunt jus creandi Magistros & Baccalares, jus aggregandi seu relaxandi penas facinorosis hominibus debitas, jus imponendi collectas, jus territoriale cum omnibus inde sequentibus juribus &c. de quibus Publicistæ.

494. Ab aliis Jura Majestatis Regalium nomine insigniti solent, vel quia Majestas omnium optimè in Regno & Rege est conspicua, Regnumque omnium Rerum publicarum antiquissima & laudatissima est species; vel quia Regalium Jura exercere quis illico potest, simul atque ad Regalem dignitatem evectus fuerit. Henricus à Rosenthal de Jure feud. cap. 5. conclus. 1. num. 4. Gabriel Sweder Introduct. in Jus publ. part. spec. sect. 1. cap. 4. num. 2. Et quod nos per Jura Majestatis intrinseca, illi per Regalia majora intelligunt: pariter quod nos per Jura Majestatis extrinseca, illi per Regalia minorâ comprehendunt. Videatur cum citatis Sixtinus de Regalibus cap. 2. à n. 2. Jam ut è diverticulo ad regiam redeam,

495. Dico I. Jura Majestatis intrinseca à subdito quæ tali nullius temporis, etiam immemorialis, Præscriptione acquiri possunt. Ita passim DD. cum Covarruv. cit. §. 2. n. 8. Brunnem. ad l. 2. Cod. commun. de usucap. num. 4. Balbo de Præscr. sec. p. §. princ. q. 1. n. 3. Einsidel de Regal. cap. 4. n. 69. Carpz. de Regal. cap. 4. aph. 5. Schambogen ad h. l. §. 4. f. m. 300. D. Franz

ibidem num. 28. D. Ertlin palast. Aulico. Jurid. de Juribus Princip. Exercit. 80.

Ratio est I. Implicat, subditum non esse subditum. Ergo etiam implicat, jura Majestatis à subdito quæ tali prescribi. Conseq. prob. Jura Majestatis intrinseca per num. 492. nequeunt à Majestate separari, atque, ut non nemo scripsit, sunt sacra sacrorum; sunt affixa Principi, veluti stella firmamento, aut ossa corpori; sunt coronæ & scepro annexa, velut gemma annulo. Ergo non possunt à subdito usurpari, quin subditum exuat, & in partem aut consortium Supremæ Potestatis advocetur. Ergo nequeunt à subdito quæ subdito prescribi. Confirmatur. Jus 497. exigendi collectas publicas nequit ullâ Præscriptione, etiam immemoriali, abrogari l. competit 6. Cod. de Præscr. 30. vel 40. annor. non alia de causa, ac quia est jus Majestatis intrinsecum, & in signum Supremæ Majestatis Summo Principi reservatum Balb. d. l. n. 2. Abbas in cap. ad audientiam 13. b. r. n. 18. Ergo eadem censura de aliis Majestatis juribus intrinsecis est terenda.

Ratio est II. Lex Præscriptionis, sive ab ipse famet Natura, sive à Gentibus, sive alio Legislatore nata & creata dicatur, non potest evertere principem Principis Potestatem: neque enim aut Natura in Principe vanum sine Potestate simulacrum effingere aut effigurare voluit; aut Gentium consensum autoritatem Imperantis in discrimen præcipitare intendit; aut Princeps ipse Legem Præscriptionis, seu recipiendò seu condendò, delatam sibi à Republica Majestate alteri cedere potuit. Ergo Lex Præscriptionis efficere non potest, ut jura, quæ Majestatem in sua essentia constituunt, ad unum ex subditis perveniant.

Ratio est III. Nulla Præscriptio positiva currit cum mala fide. Ergo à subdito quæ tali jura Majestatis prescribi non possunt: qui enim se agnoscit subditum, non potest salvâ justitiâ & fide bonâ sibi talia arrogare jura, quæ cum statu & conditione subditi consistere nequeunt.

Notanter autem hæcenus de subdito quæ tali si disputationis series texebatur. Utrum enim subditus ita valeat præscribere Summam Potestatem, seu jura Majestatis intrinseca, ut non amplius maneat subditus, sed ipse evadat Supremus? Non minus arduum, quam ambitionis quæstionem vocat Clarif. D. Braun de Imp. merito & mixto cap. 1. §. 5. n. 24. Quo in puncto cum eodem D. Braun, Covarruv. ubi supra num. 10. Balbo cit. loc. quæst. 2. num. 4. §. 5. & 6. Vasquio Inst. contro. cap. 82. per tot. Vitriario Inst. l. 1. p. l. 2. tit. 4. num. 1. affirmativè suffragium meum dedico. Ratio est: quia, tametsi hæc Præscriptio Jure forsitan Civilis ignota & incognita esset, jus tamen Gentium ob boni publici stabilitatem exegit, ut, qui tempore saltem immemoriali in Regno aut Provincia Summæ Majestatis jura exercuit, transactò illò tempore, supremum dominium & regiam potestatem præscripsisset.

conferatur: quemadmodum plura & Regna & Provincias ab Imperio Romano, cui antea erant tributaria, hæc viâ fuisse separata & avulsa, pro certo mihi persuadeo. Et ratio

ulterior est: quia in simili Præscriptione omnes omnino conditiones concurrere possunt. Potest enim imprimis locum habere possessio, utpote ejus neminem quoad jura Majestatis incapacem esse, colligo ex illis, quæ idem D. Braun d. l. num. 22. habet, quod nempe ad hoc, ut res aliqua dicatur extra commercium humanum versari, debeat extare Lex certa, extrahens eam ex commercio. Atqui nullus est assignabilis, neque Civilis, neque Gentium, quæ jura Majestatis extrahat humanò

commerciò. Ergo &c. Deinde si Princeps, dissimulata potestatis suæ præeminentiâ, cum subdito velut æquali agat, tractet, & transigat, titulus & opinio probabilis ex parte subditi coniungat, Principem juri, quod in subditiõ habuerat, cessisse: quò titulo subsistente, bona fides fundamentum nanciscitur, in quo pedem figat.

Atque ita explicandos credo *cit. Vasq. Inst. Controv. cap. 22. n. 19. Pruckmã de Regal. cap. 5. n. 98. Henric. à Rosenthal d. cap. 5. concl. 16. n. 3. Ockel de Præscr. inem. cap. 5. th. 1. aliosque, dum etiam in Regalibus reservatis in signum Supremæ Potestatis, seu in iuribus Majestatis intrinsecis Præscriptionem admittunt immemoriam: quòd nempe de Præscriptione, à non subditiõ peragenda, loquantur. Alio in sensu nobiscum conciliari non possunt.*

Dico II. Jura Majestatis extrinsecã à subditiõ quã tali rectè præscribuntur. Sic tenentur. Authores primæ conclusionis; iisque accedunt à fortiori Rosenthal. d. concl. 16. n. 3. Pruckmann d. e. n. 95. Gabriellus lib. 5. *comium. concl. de Præscr. conclus. 1. n. Einsidel d. l. n. 68. Caprz d. Probatur I. ex l. 4. Cod. de Præscr. 30. annor. ubi jura omnia tam publica quàm privata Præscriptioni redduntur subjecta. Ergo etiam jura Majestatis extrinsecã Præscriptioni subjiciuntur: cum & ipsa in censum jurium publicorum pertineant.*

Neque dicas: textum hunc ita effusè accipiendum non esse, ne aliàs ipsa quoque Majestatis jura intrinsecã, contra superius conclusã, suã latitudine contineat. Contra enim est: quòd oporteat textum ita explicare, ut singula verba & si gnificationem habeant & operationem. At, nisi admittamus Præscriptionem in iuribus Majestatis extrinsecis, non video, quam aut significationem aut operationem habeant illa verba in d. l. 4. nullumq; jus publicum: cum, exceptis Majestatis Summæ prerogativis, vix appareat jus aliquod, quod in sortem publicorum jurium deputari valeat. Quòd verò sub ista terminorum generalitate Imperator noluerit comprehendere jura Majestatis intrinsecã, partim in l. competet 6. Cod. eod. tit. ipsemet ostendit; partim ex rationibus, primùm allegatis, clarissimè deducitur.

Confirmari potest conclusio ex Revers. Imp. de Anno 1548. *Augusta habito*, ubi in §. und soll

unser 54. contra collectas Imperii, quãs Jure Majestatis & Regalium Imperatorum percipere, non ambigo, luculenter Præscriptio conceditur. Idemque ex §. aber die 63. & §. mo aber 64. deduci videtur.

Probatur II. ex cap. super quibusdam 26. de 509. §. ubi S. Pontifex institutionem pedagiorum & quidagiorum, utpote ad Regalia spectantium, non minùs immemoriali consuetudini (seu verius Præscriptioni) quàm Imperatorum concessioni attribuit: censuit igitur, jura Majestatis extrinsecã, quale dicimus jus instituendi pedagia &c. immemoriali tempore præscribi posse. Consulatur Abbas ad d. cap. n. 1. & 2.

Probatur III. Præscriptioni memoratorum Jurium neque legalis voluntas Principis, neque personalis refragatur. Ergo à communj Præscriptionis regula non sunt libera. Antecedens quoad primum membrum de consensu legali stabiliter ex textibus, mox recentis. Quoad alterum verò probatur ex concessione privilegiorum & Regalium, quam Status S. R. I. partim expressã Principis Lege obtinuerunt; partim hodièdum obtinent; partim ab initio ex conniventia Imperatoris mediante Præscriptione accipiunt.

Si enim credimus Nicolao Myllero ab Ehrbach de Princ. & Stat. Imp. part. 1. cap. 9. num. 3. de origine Principum & Statuum Imperii eorumque jure & potestate in territorio ipsi competente, verè hoc dici potest, quòd Jctus Cajus in l. adeò 7. §. 1. ff. de A. R. D. de alluvione tradit, quòd fit incrementum latens, paulatim pradio nostra tractat, motu fluminis, ut intelligere vix possumus, quantum quò tempore adiciatur: eadem quippe ratione Principum ac Statuum Imperii dignitas, libertas, & potestas crevisse, siquè successivò usu & exercitiò invaluisse videtur.

Promovetur argumentum. Quæcumq; possunt acquiri privilegio, possunt acquiri Præscriptione. Sed jura Majestatis extrinsecã possunt acquiri privilegio. Pruckmann *cit. loc. num. 1. cum relatis ibidem; & constat ex d. cap. super quibusdam. Ergo &c.*

Oppones I. Via publica non utendò non amittitur, esto per centum annos non-jusus continuaverit. *l. viam publicam 2. ff. de Via publ. & ibi Glossa. Ergo jura publica, qualia sunt jura Majestatis, nullò temporis cursu amittuntur. II. Si privatus potestatem, jus, aut imperium sibi non competens usurpet, obstringitur crimine læsæ Majestatis. *l. Lex duodecim 3. ff. ad Leg. Jul. Majest. Sed qui exercet jus Majestatis extrinsecum, usurpat jus, potestatem, & imperium, sibi non competens. Ergo &c.**

Resp. ad I. viam publicam fe potentiam eundi per viam publicam, propriè loquendò non jus sed meram facultatem esse, cui ne immemorialis quidem Præscriptio officit. Pruckmann d. loc. n. 103.

Resp. ad II. totum argumentum transmitti, si intelligatur eò modò, quò juxta mentem & verba recitata

L. in-

L. intelligi debet, nempe de possessore malæ fidei, de quo ibidem Jctus Marcianus disserit, dum in fine ait: *quive privatus pro potestate magistratue quid sciens dolò malo gesserit. Talis enim verò non favore Præscriptionis, sed*

Legis indignationem commeretur, non idèò, quòd potestas & jus Majestatis extrinsecum existat impræscriptibile; sed quòd bonâ fide, velut Præscriptionis primariâ causâ, destituitur. Braun *alleg. loc. n. 20.*

§. II.

De Jure ultimæ cognitionis & extremæ provocationis.

Jus ultimæ cognitionis & extremæ provocationis (die höchste Justiz und Gerichtsbarkeit in dem ganzen Römischen Reich) est reservatum Imperatoris, vi cujus ipse injustitiam sententiãrum, in Principum ac Ordinum Imperii Judicis latarum, in casu, quò pars gravata ad eum provocavit, inquirat, easque vel refigit, atque corrigit, vel confirmat; de sententiis autem, quæ ipsius nomine lata, nemò sibi facultatem cognoscendi arrogare valet. Swederus *dist. sect. 1. cap. 11. n. 1. Dixi: jus ultima provocationis esse reservatum Imperatoris. Num verò tam strictè reservatum, tamque arctè colligatum sit Majestati, ut immemorialis saltem Præscriptionis autoritate ab eafeparari nequeat? Controversum est.*

Negativa sententiã, quòd videlicet tanta non sit connexio hujus juris cum Majestate, ut divortium Præscriptio efficere non possit, sequenti argumentò studenda videtur. Jus ultimæ provocationis speciali Imperatoris privilegio ad Principes Inferiores dimanare potest. Ergo etiam, inspectis principiis hujus, & casusque usurpat, titulo Præscriptionis. Antecedens demonstratur ex Legibus Imperii fundamentalibus, Aurea Bulla scilicet cap. 8. & 11. ubi Serenissimis S. R. I. Septemviris à Carolo IV. privilegium, ne ab ipsorum vel Officialium sententiis appelletur, concessum legitur. Quod ipsam Serenissimis Archiducibus Austriæ, Burgundiæ, Württembergiæ, Lotharingiæ, & aliis fuisse indultum, tradit Swederus d. l. n. 2.

Hòc tamen argumentò non obstante, indubitanter arbitror cum Covarruv. d. part. 2. §. 2. num. 10. Clariff. D. Hermetiam affirmativam esse probabiliorè. Ratio est I. quia jus extremæ provocationis & appellationis est jus Majestatis intrinsecum: is namque, qui Majestate fulget, ex natura Majestatis non tantùm est Princeps Principum, sed etiam Jux Judicum; adeoque sicut omnes Principes certò respectu Supremæ Majestati subordinatos sese agnoscunt; pariter omnes Judices eidem fe submittant, necessum est. At non omnes Judices eandem submillionem profiterentur, nisi eorum acta & conclusa in causis injustitiæ censuram Majestatis Cæsareæ metuerent. Ergo, sicut alia Majestatis intrinsecã jura præscribi non possunt, ita jus provocationis supremæ præscribi non potest.

Confirmatur I. Suprema Jurisdicitiò in toto Imperio soli coheret. Imperatori, neque ab ipso avelli potest. Ergo etiam suprema causarum provocatio & dijudicatio: hæc enim, cum factus Jurisdicitiõnis, quæ in administratione Juris & justitiæ consistit, quasi individua est comes Jurisdicitiõnis: ut adeò vel utraque vel neutra à persona Summi Principis dismembrari debeat. Unde D. Hermes *cit. loc. appositè scriptis: sicut à Majestate Cæsareã, tanquàm à fonte, omnis Jurisdicitiò per concessiones & investitures fluit; ita ad eandem refuit per appellationem. II. Implicat cum persona subditi, ut ab eo nulla ratione possit provocari: nam, qui prætendit, non esse Judicem, ad quem datur appellatio, eò ipsò prætendit, non esse aliquem, quem velut Superiorem se revereri teneatur (quid enim aliud appellatio, quàm devolutio causæ ad Superiorem? & quid aliud negatio appellationis, quàm negatio Judicii & Judicis Superioris, ad quem causa devolvitur?) Ergo implicat Præscriptio supremæ appellationis in eo, qui Summò Principe est inferior.*

Ratio est II. Ea, quæ competunt Principi in signum supremæ potestatis & Jurisdicitiõnis, ab inferioribus præscribi non valent *ex num. 495.* Sed jus ultimæ cognitionis competit Principi in signum Supremæ Potestatis & Jurisdicitiõnis, per ea quæ docet Baldus ad *Aurb. quas adiones Cod. de SS. Eccles. n. 14. allegatus à Covarruvia; ita quidem, ut proximè citatus Hermes asserat, Summum Principem, tametsi vellet, hoc jus à se abdicare non posset: quia in hac Summa Potestate hæret humidum radicale & facultates ipsius animæ Principatûs. Ergo &c.*

Ad argumentum contrarium Resp. eò modo, quò solet ab Imperatoribus communicari privilegium de non-appellando, dari etiam Præscriptionem de non-appellando. Sed quando Imperator Electoribus aliisque Principibus simile privilegium impertitur, jus supremæ provocationis nihilominus persistit intactum, quatenus non tantùm ipsi Principes autoritate & nomine Imperatoris eòdem privilegio utuntur, quemadmodum olim Præfecti Prætorio Romæ ante constitutionem Diocletiani in l. *mod. de Sent. prætor. usi fuerant; sed etiam Imperatori reservatur jus audiendi querelas nullitatis nec non causam protractæ vel denegatæ justitiæ. Relegantur de hac materia Sweder d. e. 11. n. 1. Hermes *cit. loc. Gall. 1. Observ. 135. per 100. Igitur & Præscriptio plus obtemeri non potest, quàm jus non-appellandi, salva semper aliqua provocatione per supplicationem aut alium modum. Estque hæc opinio, si fidem tribui-**

mus

mus Covarruviae, in Hispania expressa Lege recepta, quod nempe Dux, Marchio, aut

Comes nullus Praescriptione acquirere possit, ne ab eo ad Regem appelletur.

§. III.

De iure imponendi tributa & vectigalia; & de eorum immunitate.

529] Us imponendi tributa & vectigalia ad Jura Majestatis referri, inde probatum manet: quia non tantum jus imponendi collectas & tributa active in Jurisdictione, qua toto in Imperio Imperator effulget, & passive in subjectione fundatur, aded ut collectarum solutio intallibilis quasi tessera sit subjectionis, ac superioritatis recognita certum testimonium cap. omnis 2. de censibus. Nicol. Myller de Princ.

530] Stat. Imp. part. 2. cap. 62. n. 2. Verum etiam jus imponendi vectigalia originaliter ex Jurisdictione manat, & specialiter Imperatori reservatur, gehört zu der Kaiserlichen Hoheit und Reservaten R. I. zu Regensburg 1576. §. dardurch dann nicht allein 19. Unde suborta est quaestio: an non ista reservatio efficiat, ut jus imponendi tributa & vectigalia sit Praescriptionis incapax?

531] Dico I. Utrumque jus, & imponendi tributa, & exigendi vectigalia, a Principibus inferioribus praescribi potest. Prima conclusio pars extra dubium videtur posita: quia defecto Principibus & Statibus Imperii concessa est facultas non solum collectas provinciales indicendi, sed etiam ob collectas generales subditos suos sub collectandi, prout apud Publicitas, nominatim cit. Nicol. Myller, & Sweder part. spec. sect. 1. cap. 26. n. 7. & 8. videre est. Et hanc partem praeter ceteris amplectitur D. Ertl laudato tract. de Juribus Princip. Exerc. 80.

532] Altera conclusionis pars, quae majori est difficultate circumscripta, probatur I. argumento communi, quod ea jura, quae sunt comparabilia privilegio, obstrictante Praescriptione nobis pariantur: jus verò exigendi vectigalia est comparabile privilegio, cum in confirmatione Privilegiorum Austriacorum à Carolo V. facta art. 35. cautum sit, daß die Erbz. Herzogen von Oesterreich in ihren Fürstenthumen Raucht und Zoll zu gleicher Weis / als die Römische Kayser / und Könige im Reich machen / und aussitzen mögen / uti refert Joannes Braun in lb. Variar. Amenit. thesi. 37. Ergo jus exigendi vectigalia obstrictante Praescriptione paritur.

533] Probatur II. singulariter ex famoso cap. super quibusdam 26. de V. S. ubi Innocentius III. jus constituendi pedagia & quidagiam (quod nomine vectigalia intelligi, constat ex iis, quae ad cap. innovamus 10. de Censib. annotavit Gonzalez) æquiparat, si habeatur ex concessione Principali aut consuetudine seu Praescriptione immemoriali: eoque ex cap. communiter à DD. deducitur regula, quod Regalia Praescriptionem non effugiant; quòdve privilegium & Praescriptio immemorialis eundem habeant valorem. Huic parti praeter aliis adscriptur

Regnerus Sixtinus de Regalibus cap. 8. num. 18. Braññ virat. Einidel de Regal. cap. 3. n. 25.

Dices I. Jus exigendi vectigalia est Imperatoriae Majestati specialiter reservatum ex n. 530. imò est proprium Majestatis juxta nonnullos apud memoratum Braun; & secundum Card. Tufchum concl. 33. n. 6. V. Vectigal. maximi Imperii. Ergo nequit salva Majestate in alios transferri.

Resp. I. negandò conseq. primum enim diximus, idem jus ex privilegio Imperatorio ad Principes, Imperatore inferiores, spectare posse.

Resp. II. distinguendò antecedens, jus exigendi vectigalia est Imperatoriae Majestati specialiter reservatum, ita ut ad Jura Majestatis intrinseca pertineat, nego antecedens; ut ad Jura Majestatis extrinseca spectet, concedo antecedens, & nego conseq. Ratio est: quia, ut habet Kloekius in disp. de Vectigal. §. 25. apud cit. Joannem Braun, vectigalia non tam in typum eminentiae, quam ad obijciendum repagulum multorum Magistratum avaricis, nec non ad fiscum (cui opus sunt opes, sine quibus non fiet, quod opus, ait Lips. Civil. Doctr. lib. 4. cap. 9.) augendum, Principi fuerunt reservata.

Dices II. Nova vectigalia sine speciali Imperatoris licentia institui non possunt I. non quidem 1. 2. & 3. Cod. Vectigal. nova institui non posse. Ergo, cum in Praescriptione specialis Imperatoris licentia nequaquam inveniatur, illa ad institutionem novorum vectigalium non sufficit.

Resp. negandò conseq. Nam Praescriptio saltem immemorialis æquivalere speciali Imperatoris concessioni d. cap. super quibusdam de V. S. Unde, quae tempore, cujus initii memoria non habetur, possessa sunt vectigalia, censentur Imperatoriae concessione fuisse acquisita.

Dico II. Immunitas tam à solvendis vectigalibus, quam praestandis collectis & tributis, quae non petuntur in recognitionem supremi domini, praescribi potest. De immunitate à solvendis vectigalibus res clara videtur: quia videlicet & de facto variae ejusmodi immunitates variis reperuntur indultae; & jus exigendi vectigalia magis ad Cameram quam Majestatem ordinatur.

De immunitate à collectis, mecum sentiunt Covarruv. cit. loc. n. 8. Einidel de Regal. cap. 3. n. 300. Brunem. ad l. comperit 6. Cod. de Praescrip. annor. n. 6. D. Franz h. n. 17. D. Ertl d. Exerc. n. 6. Eamque sententiam in R. J. de Anno 1548. supra in num. 508. memoratò, approbatam credo.

Ratio est partim: quia, datà huic juscemodi Praescriptione, jus Majestatis in sua integritate perditur: partim quia ipsa superioritas, in qua jus collectandi radicatur, Praescriptionem non abhorret: partim quia isthaec immunitas privilegio acquiri potest, quale privilegium (licet cum onere) nostrum Monasterium Otoburanum ab Ottone Magno, cum consensu Procerum Imperii accepit, & accedente subsequente Imperatorum Confirmatione ad moderna usque tempora salvum retinuit, eaque de causa titulò Liberi & Exempti Monasterii hodie dum gaudent.

perioritas, in qua jus collectandi radicatur, Praescriptionem non abhorret: partim quia isthaec immunitas privilegio acquiri potest, quale privilegium (licet cum onere) nostrum Monasterium Otoburanum ab Ottone Magno, cum consensu Procerum Imperii accepit, & accedente subsequente Imperatorum Confirmatione ad moderna usque tempora salvum retinuit, eaque de causa titulò Liberi & Exempti Monasterii hodie dum gaudent.

